



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Deus In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt II. Ob quasnam caussas Deus humanam vitam tot tantisq[ue]
volueri esse miserijs repletam ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Scilicet ex illa, qua primùm nascimur hora,

Prorepunt iuncto vitæque, morsq; pede.

Quid igitur hoc breue, hoc miserum, hoc calamitosum æuum quod agimus in terris, esse dicemus? vitæmne? at enim morimur, & vt idem Morus ait, *interea dum loquimur, morimur*. Mortem? attamen viuimus. quid igitur? Vitam, opinor, mortuam, aut mortem viuentem non absurdè appellabimus. Rectè nonnulli exilium, rectè ergastulum, rectè Camerinam, rectè Iernam malorum, rectèissimè *vallem lacrymarum* appellauerunt. Et vita est verè fletu digna, de qua cum homines querantur, datâ, formident tamen auferendâ. Quid miserabilius est, quàm ærumnas nec pati velle, nec finire? Sed de his sat est dictum, tanta enim earum est multitudo, vt neque Ilias eam complecteretur. Videamus nunc, quo iudicio, quibusue de causis earum etiam reliquas voluerit in mundo, immò mundum in illis esse diuina prouidentia, sub quam omnia cadunt, & cum Poëta hoc caput finiamus,

Verè dicitur, estq; terra vallis

Amarissima, Paule, lacrymarum,

Et plenissima, Paule, lacrymarum.

Paremus Strophium, & sinu geramus.

Quod bibat lacrymas quotidianas:

Quas fleas, dabit omnis hora causas.

Dolorum omnium amaritudinumq;

Ærumnabiliūq; lacrymarum,

Hac est patria; Terra nostra vallis,

Non potest aqua vallibus deesse.

Bernhard.
Bahuf, lib. 4.
Epigram.

C A P V T II.

Ob quasnam causas DEVS humanam vitam tot tantisq; voluerit esse miseris repletam?



Quoniam igitur diuina vox est illa: Ego Dominus, & non I. est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hac; Isa. 45. 7. à bono autem Deo mali nihil potest esse, consequens est, bella, & famem, & morbos, etsi nobis mala aut sint, aut videantur,

B 3

tamen,

tamen, prout à Deo sunt, magnam quoque habere bonitatem, coniunctam. Poëtarum somnia sunt, morbos, aliaque mala è Pandoræ pyxide in terras euolasse. At nos Poëtarum fabulas nihil moramur, qui è diuinis litteris veras malorum causas didicimus. Felicem condidit hominem Deus, & eum, vt tanto beatior esset, in loco felici posuit. Vt tamen Dominum agnosceret, vitium ei, idque haud difficile præceptum dedit, illudque, vt decebat, comminatione pœnæ firmavit. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum: Præcepitq; ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientia boni & mali ne comedas. in quocumq; enim die comederis ex eo, morte morieris, hoc est, morbis, & morti subiectus eris, quibus te liberum creauit. Vnius arboris abstinentiam præcepit tam liberalis in hominem Dominus. Si rem grandem iussisset, parère debuisset. Præuaricatus est; quare pœna dignus fuit, & ipse, & vxor, & tota series posteritatis. Hinc Deus &*

Gen. 2. 15. Dominus, & Iudex mulieri dixit: *Multiplicabo arumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Ada verò dixit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperum tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vita tua. Spinæ & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Hæc fundi nostri est calamitas. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec latatur in perditione vinorum.* Hinc rectè Concilium Mileuitanum definiit: *Quicumq; dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita vt, siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* Igitur, quod delinquimus, luimus. Dominum serui contempnimus, & miremur, si vapulamus? Quæ enim Adamo via fuit ad mortem, hæc & nobis fuit; estque quotidie.

S Augustin. lib soliloq; cap. 4. *Nam per mortem ad nihilum tendimus, ait S. Augustinus, dum nos nihil facere per peccatum non formidamus. Et justè quidem hoc, Domine, nam digna factis recipimus, dum ad nihilum deuenimus, tamquam aqua decurrens, quia sine te factum est nihil, & nos faciendo nihil facti sumus nihil, quia sine te sumus nihil, per quem facta sunt omnia, sine*

sue quo factum est nihil. Quare fames, sitis, morbi, mortes, mala sunt, quia nos affligunt; hæc autem mala ipsi accersuimus, dum deliquimus; in pœnam autem à DEO immissa, bona sunt, quia à iustitia sunt, & puniant præuaricatores.

Hoc semper nobis in animo debet esse, quoties morbo ten-
tamur. Morbi enim sânt fructus peccati. Quibusdam profugis
numquam demuntur compedes; ne iterum fugiant. Fugimus à
Deo, eapropter iniecti sunt nobis morbi tamquam compedes. Et
reliqua mala nos commonent, ne maiora mala mereamur. Mira-
bili hoc providentia Dei accidit, hoc enim pacto superbia nostra
deprimitur, & cristæ, quas in calum erigimus, in terram incli-
nantur. *Anaxarchus cognomento Eudamonicus ridebat Alexandrum,*

*quòd se ipsum DEVM faceret. Cùm autem aliquando in morbum
incidisset Alexander, & ei medicus sorbitionem imperaret fieri, ridens
Anaxarchus: At nostro Deo (inquit) in cochlearia sorbitione spes est.*

Quemadmodum igitur fortunæ favor, & res bene feliciterque
gestæ Alexandro occasio fuerunt, vt se Deum esse arbitraretur;
ita vicissim vitæ humanæ miseriæ atque corporis infirmitas caus-
sa fuerunt, vt nihil de se diuinum somniaret. Est is hominibus
agnatus morbus, vt facillè credant, quando ijs dicitur, *eritis sicut*

Dij. Huic morbo præstans remedium est inualitudo, & calami-
tates, quæ homines in dies circumueniunt, ex illis enim agno-
scunt suam fragilitatem. Admonentur siquidem, ne se Deos esse
fingant, nullis malis obnoxios. Hinc & ille videns dixit: *Bo-*

num mihi, quia humiliasti me; vt discam iustificationes tuas. Ex qua
humanæ humilitatis cogitatione, etiam regius ille adolescens
coepit cristas demittere, & animum ad altiora eleuare, de quo,
apud S. Damascenum, hæc leguntur, nimirum Iosaphat Auenniri
Indiæ regis filio, qui diu, ne in Christianos, aut religionem Chri-
stianam incideret, inclusus in palatio, tandem foras exeundi im-
petrauit à patre potestatem. *Is autem, & quicum eo erant, sum-*

mopere mandauit, vt curarent, ne quid iniucundi obuiam haberet:
verùm quidquid pulchrum & amœnum ac incundum esset, ipsi osten-
derent; choreasq; in vijs agitarent, suauissimisq; cantionibus operam
darent, ac varia spectacula constituerent: vt ipse mentem his rebus oc-
cuparet atque oblectaret. Cùm igitur regis filius ad hunc modum fo-

ras

II.

Aelian. :
cap. 37.

Gen. 3. 5.

Psal. 118. 73.

S. Io. Dama-
scen. de reb.
gestis SS.
Barlaam &
Iosaphat,
cap. 5.

ras crebrò progredetur, quadam die, ministrorum obliuione factum est, ut duos viros perspiceret, quorum alter leprâ, alter cecitate laborabat. Quos conspicatus, atque animi mœstiriâ affectus, ab ijs qui secum erant, quinam hi essent, & quodnam graue hoc spectaculum esset, percontatus est: illi autem, cum id, quod in ipsius aspectum venerat, occultare non possent, has humanas calamitates esse responderunt, quæ ex corrupta materia, & corpore vitiosis humoribus pleno, mortalibus contingere solent. Tum ille: Cunctisne hominibus hæc accidere consueverunt? Non cunctis, inquit illi, verum ijs dumtaxat, quorum valetudo propter improbos humores deprauata sit. Rursum igitur sciscitari perrexit adolescens: Si non omnes homines in has calamitates incidere consueverunt, sed quidam dumtaxat, exploratumne est, quinam sint, quos malorum acerbitates acceptura sint; an contra citra ullam distinctionem atque ex improviso constantur? Et quis tandem hominum, responderunt illi, futura perspicere, ac perfectè intelligere queat? Hoc enim humane nature captum excedit, ac solis immortalibus Dijs attributum est. Hic percontandi quidem finem fecit regis filius: verum ex huiusmodi spectaculo dolorem animo cepit, rei quæ, nonitate ita affectus est, ut oris ipsius forma immutaretur. Rursum autem foras progrediens, in capularem quemdam senem incidit, rugata facie, fractis ac dissolutis tibys, curuo corpore, capite prorsus cano, qui præterea dentibus carebat, atque concisum quiddam & interruptum loquebatur. Stupore itaque correptus, cum hominem eum propius ad se adduci iussisset, eos, qui tum aderant, interrogabat: Ecquidnam tam insolens spectaculum esses? Illi autem dixerunt: Hic atate valde pronectus, ac paulatim decidentibus ipsi viribus, membrisque imbecillitatem contrahentibus, ad hanc, quam cernis, aruonnam peruenit. Et quisnam, inquit ille, ipsius finis est? Nihil aliud, inquit illi, quam mors ipsum excipiet. Omnibusne hominibus, inquit ille, hoc propositum est, an quibusdam dumtaxat contingit? Responderunt illi: Nisi mors antevertens aliquem hinc abducat, fieri non potest, quia temporis progressu status huiusce periculum non faciat. Tum adolescens: Quoto anno hoc cuiquam contingit? atque prorsusne mori necesse est, neque ars vlla est, quâ mortem effugiamus, atque in hanc calamitatem minimè incidamus? Dicunt ei: Octogesimo, aut centesimo anno ad hanc senectutem homines perueniunt, ac deinde moriuntur: nec aliter fieri potest.

Debitum.

Debitum enim naturale mors est, hominibus ab initio impositum: neque ulla ratione ipsius aduentus vitari potest. Hac omnia, ut sagax ille ac prudens adolescens audivit atque intellexit, intimo corde ingemiscens, dixit: Acerba hac vita est, atque omni dolore ac maestitia plena, si res ita se habet. Et quonam modo quispiam in incerta mortis expectatione, cuius aduentus non modo vitari non potest, sed etiam, ut dixistis, incertus est, securo animo erit? Abijtq; hac secum voluens, atque assidue considerans, mortisq; memoriam identidem animo repetens, ac deinceps in doloribus animiq; consternatione vivens atque in perpetuo morore degens. Atque apud se dicebat: Ergone mors me aliquando corripiet? Et quisnam erit qui me post mortem meminerit, cum tempus omnia obliuione contriuerit? Num praterea morte functus in nihilum dissoluatur; an contra altera quadam vita est. & alter mundus? Hac & his similia perpetuo cogitans, pallore conficiebatur. Nempe ea indoles erat, ut res suis momentis ponderaret: quo ingenio voluit omnes homines esse hominum Moderator, ut, naturæ suæ imbecillitate considerata, supercilium discerent ponere.

Superbit homo tot miserijs vndique circumuallatus: quas cogitationes habuisset, si ipse, tamquam rupes immobilis, inter circumlatrantes vndas sterisset inconcussus? Oriuntur, & occidunt sidera: nascuntur, & denascuntur elementa: Lapides quoque & saxa finduntur, suamque patiuntur senectutem: plantæ virescunt, & arescunt: animalia cetera omnia gignuntur, & moriuntur; quid de se ipso sensisset homo, si immortalis fuisset? in quantum intumuisset? Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas. Itaque quia vniuersitatis quidam veluti finis est homo, vel Philosopho teste, isq; à fine suo deflexit, qui erat Deus, omnis creatura vanitati subiecta est, propter ipsum quodammodo, ipse verò non solum vanitati similis factus, sed etiam vniuersa vanitas (si viuens, multò magis mortuus, inquit S. Hieronymus) omnium namque rerum in se gradus comprehendit. Nam subit iniurias corruptibilitatis, ut res inanimatæ; necessitatem nutritionis, accretionis, decretionis, mortis cum viventibus; sensibilibus affectionum, & patibilium alterationem qualitatum, cum sentientibus; alternationem cogitationum, voluntatum, studiorum, consiliorum cum Angelis; at insuper peccatorum, quæ ne-

III.

Eccl. 1. 2.
Aristot. 2.
Phyl. 100. 25.
Rom. 8. 20.
Psal. 143. 3.
Psal. 38. 6.

C

fanda

Vide Bellarm.
li. 6. de amif-
sione gratiz.
c. 8. & seq.
Eccli. 10. 9.
Plutarch. in
apoph. re-
gum.

fanda & cum natura pugnancia sunt, vt de morbis & ærumnis
sileam, quibus supra animalia cuncta obnoxius est homo, vt do-
cent medici, & naturalis historiz scriptores, & qui deplorant
lappi hominis calamitates. Ob hæc omnia, *quid superbit terra &
cinis?* Antigonus, à graui morbo postquam conualuerat: *Nihil
lopeius est*, inquebat, *siquidem hic morbus submonuit nos, ne animo
efferamur, cum simus mortales.* Deplorabant amici ceu magnum
malum, quòd tam grauiter ægrotasset: ille interpretatus est, ex
morbo plus sibi accessisse boni, quàm mali. Corpus extenuarat,
sed animum reddidit modestiorem: corporis robori nonnihil de-
traxerat, sed animo detraxit insolentiam, morbum longè peri-
culosissimum. Proinde non pessimè res habet, cum leuior mor-
bus arceat pellituè maiorem.

IV.

S. Augustin.
in soliloq.
capo 2.

Neque verò tantum, per imbecillitatis huius consideratio-
nem, pellitur superbia, sed etiam, ea agnita, subit animuū hu-
militas & demissio, quæ docet hominem, vt apud Deum quærat
miseriarum suarum medicinam, & reuerenter quærat. Audi ta-
lem ita orantem: *Quid est homo, vt possit alloqui Deum factorem
suum? Parce mihi colloquenti tibi. Ignosce seruo tuo, qui presumit
loqui tanto Domino. Legem non habet necessitas. Dolor me compellit di-
cere, calamitas, quam patior, cogit me exclamare. Ægrotus sum, ad
medicum clamo: cecus sum, ad lucem propero. Mortuus sum, ad vitam
suspiro. Tu es medicus, tu lux, tu vita, IESU Nazarene, miserere mei,
Fili David, miserere mei fons misericordia. Audi, qui ad te clamat, in-
firmum. lux, qua transis, expecta cecum, prabe ei manum, vt ad te ve-
niat, & in lumine tuo videat lumen. Vita viuens, reuoca mortuum.
Quid sum ego, qui loquor tecum? Va mihi, Domine, parce mihi, Do-
mine. Et infra: Dicam, dicam miseriam meam; confitebor, nec erub-
escam ante te vilitatem meam. Adiuua me, fortitudo mea, per quam
subleuor, succurre virtus, per quam sustentor; veni lux, per quam vi-
deo: appare gloria, per quam gaudeo; appare vita, in qua viuam, ô
Domine Deus meus.*

V.

S. Gregor. li.
3. dial.

Quemadmodum autem miseriz huius vitæ non solum poena
sunt delicti nostri, verum etiam frena superbiæ, ne nos ipsos ma-
gni faciamus; ita etiam efficiunt, ne mundum ipsum nimis æsti-
memus. *Despiciendus à nobis hic mundus fuerat*, ait S. Gregorius,
etiamsi

etiam si rebus prosperis demulceret animum. At postquam tot flagellis premitur, tot nobis quotidie flagella ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur, clamat? Itamus, cum apud Antigonom, corporis aduersa valetudine laborans, strenue tamen militaret, nullum hostem, nullum periculum formidans, rogatus à rege palloris causam, ægritudinem incognitam caussatus est. Rex igitur animi magnificentia ductus jubet remedia adhiberi ad eum sanandum. Restitutus autem sanitati miles, postea timidior cautiorque factus, orania mortis pericula vitabat. Interrogatus igitur à rege mutationis causam, respondit: *O rex, tu me minus audacem fecisti, quod ijs malis me vindicasti, quibus vita à me mea contemptui habebatur.* Sensit nimirum vel miles, ægritudinem hominibus in eo prodesse, vt omnia fortunæ bona, & ipsam etiam vitam miseram atque ærumnosam contemnant, qua cum sani sumus, in nostram perniciem abutimur. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis,* ait Apostolus. *vt inhabitet in me virtus Christi.* Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum. Nam virtus in infirmitate perficitur, vt paulò priùs dixerat. Magna autem est virtus, mundum despiceret; qui non potest faciliùs despui, quam cum tot miserijs amarescit.

Quæ cogitatio non solum Apostolum magnum, sed etiam magnum Episcopum induxit, vt cuncta caduca nihili faceret. Nam ita loquitur: *Tadet me, Domine, valde vita huius, & istius ærumnosa peregrinationis. Vita hac, vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, regina superbiorum, plena miserijs & erroribus; qua non est vita dicenda, sed mors; in qua momentis singulis morimur, per varios mutabilitatis defectus, diuersis generibus mortium.* Et paulò post. *Et his malis omnibus mors furibunda succedit, simulq; cunctis gaudijs istius misera vita ita finem imponit: vt cum esse deserit, non fuisse putetur.* Mors ista vitalis, & vita mortalis: licet his alyscq; sit resperfa amaritudinibus: pro dolor, quam plurimos suis capit illecebris, & quam multos suis falsis promissionibus decipit? Et cum ita per se sit falsa & amara, vt etiam suos cacos amatores latere non valeat: tamen infinitam stultorum multitudinem aureo calice, quem in manu habet, potat, & prorsus inebriat.

Brufonius
lib 4. cap. 15.
post Plutarch.

2. Cor. 12, 9.

VI.

3. Augustin.
lib. Medit.
cap. 2).

Io: Climach.
in scala cæli.
grad. 6.

briat. Felices illi, & ipsi rari, qui familiaritatem eius recusant, perfunctoria gaudia spernunt, societatem abijciunt, ne cum pereunte deceptorice, & ipsi perire cogantur. Inter quos fuit monachus ille Ægyptius, qui Ioanni Climacho narrauit, se, cum in intimo cordis mortis memoriam penitus fixisset, velletq; aliquando, necessitate urgente, carnis huius luto solatij aliquid indulgere, ab huiusmodi memoria, veluti à quodam iudice prohibitum esse. Quodque mirabilius est, cum vehementer vellet hanc memoriam repellere à se, non potuit. Aded profuit ad mundi illecebras, carnisque fomenta negligenda, vel memoria mortalitatis, & humanarum calamitatum, quæ omnes morte finiuntur.

VII.

Pfal. 119. 5.
Rom. 7. 24.

Hæc vitæ ærumnosæ incommoda, qui secum expendunt, numquam de vitæ breuitate conqueruntur: immò potius ægrè ferunt mortis dilationem, quemadmodum illi, qui diu in ergastulo detinentur; quos quò citiùs liberos dimittis, eò clementiùs tractas. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! clamat è carcere suo Propheta. Et Apostolus: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Quale gaudium est nauigantium ad optatum portum appellentium? atque è sæuientis Oceani procellis emergentium? Quis murmurat, cum onus graue, sarcinamque molestâ iubetur deponere? Quid ergo homines musant, si id impetrant, pro quo ille orauit, qui dixit: Educ de custodia animam meam? itemque: Quando veniam & apparebo ante faciem DEI? P. Franciscus Costerus, cum SS. Sacramentis ad agonem muniretur, identidem exclamabat: ô quale gaudium! ô qua consolatio! Post ea peracta legi sibi Psalmum voluit: Qui habitat, in quo admiranda facinora diuina prouidentia enumerantur, in eos edita, qui ei se totos permisissent. Post eius Psalmi singulos versus affirmabat, singula sibi ordine ita obligisse, ut erant illic expressa. Cum ventum ad illa verba fuisset: Longitudine dierum replebo eum: Et hoc, inquit, apud me locum habet; DEI enim singulari beneficio octoginta & octo annis vixi, nullo vnquam morbo tentatus. Ad extrema versus illius verba: Et ostendam illi salutare meum: Hoc, inquit, unum restat; quod modo expecto. Cumq; astantium aliqui adderent, sperare se, hoc supremum beneficium ad cumulum ei veterorum accessurum: Non dubito, respondit. Ita felix DEI seruum obiit, sancta hilaritate, ac fiducia salu-

Pfal. 141. 8.
Pfal. 41. 3.
Ex cap. 13.
triplicis coronæ B. V.
tract. 3. P.
Francisci
Poirxi.
Pfal. 90.

rio, Matris dulcissima fructu ac interuentu parta, plenus. Octoginta quidem octo annis se vixisse in beneficio habuit, & quidem nullo vumquã morbo tentatum, quia ita diuinam gloriam poterat impensius propagare; sed tamen vel sic doluisse se indicat, quòd incolatus eius esset propagatus. Alioquin enim profectò, de corpore, in quo tam diu habitauit, exiturus non dixisset, *ò quale gaudium, ò qua consolatio!* sed vitæ iacturam deplorasset.

Quid, quòd vel Ethnici, ob has mortalium miseria, vitæ breuitatem inter naturæ beneficia numerauerunt? De qua vita cum Plinius loqueretur, adiecit: *Incertum ac fragile nimirum est hoc munus natura, quidquid datur nobis: malignum verò & breue, etiam in ijs, quibus largissimè contingit, vniuersum utique aui tempus inuentibus. Quid quòd astimatione nocturna quietis, dimidio quisq; spatio vita sua viuat? Pars aqua morti similis exigitur, aut pœna, nisi contingit quies. Nec reputantur infantia anni, qui sensu carent, non senectâ in pœnam viuacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot cura, toties inuocata morte, ut nullum frequentius sit votum. Natura verò nihil hominibus breuitate vita præsinit melius. Hebescunt sensus, membra torpent, pramoretur visus, auditus, incessus, dentes etiã as ciborum instrumenta, & tamen vita hoc tempus annumeratur. Immò optatur, quia amatur ab ijs, qui nihil in futura vita sperant, sed aliquid formidant. At verò homini ea, quæ recensuimus, partim oculis, partim animo contemplanti, perbeati illi videntur, qui ex hoc ærumnarum humanarum & miseriarum pelago ad eũ portum, DEO auspice, caelestibusque bene iuuantibus aspirant: quòd qui perueniunt, placidissimè conualescunt, procul à grauibus illis, quas ostendimus, corporum animorumque iactationibus, procul à procellis, & tempestatibus, procul ab omnibus vitæ salutisque discriminibus secreti atque disuncti. Senecam audiamus. *Omnia, inquit, ista bona, qua nos speciosa, sed fallaci voluptate delectant. pecunia, dignitas, potentia, aliãq; complura, ad qua generis humani caca cupiditas obsupescit, cum labore possidentur, cum inuidia conspiciuntur: eosque ipsos, quos exornant, & premunt; plus minantur, quam profunt. Lubrica & incerta sunt: numquam bene tenentur. Nam ut nihil de tempore futuro timeatur, ipsa tamen magna felicitatis tutela sollicita est. Si velis credere altius veritatem intuentibus, omnis vi-**

VIII.

Plin. lib. 7.
nat. hist.
cap. 50.

Seneca in
Consolat. ad
Polybium,
cap. 28.

ta supplicium est. In hoc profundum inquietumque projecti mare, alternis astibus reciprocum, & modò alienans nos subitis incrementis, modò maioribus damnis deserens, assidueq; iactans, numquam stabili consistimus loco: pendemus & fluctuamur, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc tam procelloso, & in omnes tempestates exposito, mari navigantibus, nullus portus nisi mortis est. Nemo dolet, è fluctibus & scopulorum periculis, se ad fortunatas insulas citius appulisse.

IX.

Exod. 1. 33.

Exod. 2. 33.

Franc. Poiræus loc. cit.

Psal. 39. 1.
Psal. 83. 1.

Itaque, ut ad veram felicitatem tantò ardentius aspiremus, multum nos impellit vitæ huius amaritudo, quæ ante oculos posita, vitæ futuræ iucunditatem tantò magis commendat. Cuius rei figurâ Deus ostendit in populo Hebræorum, cui etsi sæpe laudata fuerit terra promissionis lacte & melle fluens, numquam tamen tantum desiderium iniecisset, nisi in Ægypto tanta passi essent. Siquidem oderant filios Israël Ægypti, & affligebant illudentes eis: atq; ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omniq; famulatu, quo in terra operibus premebantur. Itaque ingemiscientes filij Israël propter opera vociferati sunt: ascenditq; clamor eorum ad Deum ab operibus. Pari modo, dum nos in terris varijs exagitamur ærumnis, exules filij Euxæ, ad cælum clamamus, & ad DEVM suspiramus, eumque vitæ cursum & institutum, & tenemus, quo absoluto atque confecto, meritò illâ, quâ fruuntur, qui nos sunt antegressi, quietem sperare possumus. Et qui maximè sperant, maximè eò anhelant, gaudentque, si videant adesse finem laborum, nec procul distare coronam, ad quâ sunt ex hac lachrymarum valle euolaturi. Cuius rei cum extent sine numero exempla, vel illud sufficeret, quod Frânciscus Poiræus de P. Franciseo Suarezio narrat. Nam Suarezius, ut ille scribit, mortem inter tam raras delicias animi obiit, ut finem facere non potuerit dicendi; numquam se antehac in animum inducere potuisse, mortem ulli posse tam suauem ac facilem accidere, quàm modò sibi sentiret euenire. Vnde sapius illis regy Vatis verbis usus est: Expectans expectanti Dominum. Quàm dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum: & alijs eiusmodi aspirationibus, quibus anhelantis animi desideria predebat. Hic vir, quantò doctior fuit, tantò accuratiùs & vitæ præsentis incommoda, & futuræ emolumenta habuit perspecta.

Erudi-

Eruditione ergo sua adiutus est, & ad fluxa ista contemnenda, & ad aeterna bona ardentius appetenda. Quod & illi euenit, de quo S. Gregorius hæc narrat: *Quidam mecum in monasterio frater Antonius nomine vivebat, qui multis quotidianis lachrymis ad gaudia patriæ celestis anhelabat. Cumq; studiosissime, & magno feruoris desiderio sacra eloquia meditaretur: non in eis verba scientia, sed fletum compunctionis inquirebat: quatenus per hæc exaltata mens eius inardesceret & ima deserens, ad regionem celestis patriæ, per contemplationem volaret.* Quò etiam, bis de instante morte, & semel de peccatis dimissis monitus, tanta securitate, quanta lætitia mentis è mortalibus emigravit. Enimuerò S. Andreas Episcopus Fesulanus Ordinis Carmelitarum, anno ætatis suæ septuagesimo primo, in ipsa nocte Natiuitatis Domini, dum rem sacram in Ecclesia faceret, Dei Matrem habuit aspectabilem, quæ ei obitus sui diem nuntiaret, quem proximo mense, videlicet, octauo idus Ianuarij, quo die Epiphania Domini celebratur, fore dixit. Qua reuelatione ille tanto gaudio repletus est, vt qui priùs ob victus tenuitatem macilentus, & squallore perfusus erat, Seraphico pænè colore perfusus sit. Nemo igitur vitæ istius calamitates, quas meruit, existimet sine grauib; etiam alijs caussis atque vtilitatibus humano generi incidisse. Illatæ sunt mundo, vt nos punirent; ita puniunt, vt profint, nosq; vel tergiuersantes promoueant ad nostram felicitatem.

S Greg. lib. 4.
Dial. cap. 47.

Sur. in vita
eius. 6. Ian.

Quo modo S. Cæcilia Tiburtium Valeriani sui fratrem promouit, carnifices, eorumq; tormenta metuentem, quem his verbis est allocuta: *Si hæc vita esset sola, & nõ esset alia, jure, quæ hic sunt, timeremus perdere. Cum autem sit alia vita, quæ est hæc multò melior, & sublimior, & numquam potest finire, cur timemus hanc perdere, quando per huius amissionem ad illam accedimus?* Ad quæ cum Tiburtius respondisset, se numquam audivisse, aliam esse vitam, subiicit Cæcilia: *Nunc hoc certò scias, ô charissime, quòd quàm diu in hoc mundo viuimus, vitam laboriosam & dolore plenam agimus, in angustijs & afflictionibus: quandoquidem inflammant humores, minuunt labores, valde exsiccant febres, rheuma assidue inducit aer, cibi inflant, molesta sunt ieiunia, ludi dissoluant, cura contrahunt, perdit negligentia, auaritia abycimur, expellit paupertas, elatos reddat iuuentus,*

X.

Sur. 22. No-
uember.

incuruat

incuruat senectus, deprimit imbecillitas, perturbat ira, & inter has omnia mors excindit cum minis, & sic imponit finem omnibus corporeis latitijs, ut ab eo, quod est esse, recedens, ne fuisse quidem putetur. Pro nihilo enim de cetero habetur, quidquid non est. Illa autem vita aeterna, hanc vitam caducam, miseramq;, & breuem excipiens, cum aeternis afflictionibus & tormentis datur malis, & injustis: latitia verò aeterna & exultatio præbetur justis. Sic sanctissima Virgo & Martyr Cæcilia à fluxis bonis, immò malis, ad stabilia; à terrenis ad cælestia, à desituris ad semper duratura bona traduxit. Nemo enim est, qui, si hæc inter se se conferat, vanitati non præferat veritatem. Atque hac de causa diuina Sapientia vitæ huius ærumnas nobis ante oculos ponit, ut nos melioris vitæ delicias miserijs discamus præponere.

CAPVT III.

Fames quid sit, & quantum malum?

I.



Inter miseras, quæ humanum genus affligunt, venit incensum etiam Fames, non rarus Belli, aut comes, aut sequela, & sæpe etiam extra belli tempora mortales infestans. Quæ non absurdè etiam quoddam genus morbi potest appellari: neque enim solùm morbos atque debilitatem creat, sed ipsa quoque sæuissimo cum cruciatu vitam tollit. Scertè Augustinus cibum mortalibus pro medicina, aut saltem instar medicinæ esse obseruauit. Sicut enim multi agrorum vitam morbo amitterent, nisi Æsculapius aliquis eis medicinam faceret; ita profectò omnes, nisi comederent, fame interirent. Itaque cibus eis pro pharmaco est, pro medico coquus. Tametsi enim fames, appetitus calidi & sicci, est à natura homini data, quæ hominem allicit ad vires restaurandas, optimúmque cibi condimentum haud immeritò à Socrate vocatur; quippe

Ieiunus stomachus rarè vulgaria temnit:

tamen ea sæpe molesta accidit, & sæpe cruciat, sæpe necat. Hinc illud apud Comicum legimus:

Fames, & mora bilem in nasum concitant.

Tantumque est malum, ut apud Ieremiam legamus: *Melius fuit occisis*

S. Augustin.
lib. 10.
Confess. c. 31.

Aristot. lib. 2.
de Anima.
Cic. lib. 5.
Tusc. qq.

Horat. lib. 2.
Carm. 2.

Plaut. in
Amph.
Thren. 4. 9.